



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117832**

§.8. Pœnitentia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

Hæc omnia aptissima erant ad persuadendum hominibus, Baptismi Actum gravissimi momenti rem esse oportere, & maximam Sacramenti reverentiam pariebant in animis illud recipientium, Spectatorum Fidelium, & Infidelium, qui de Mysterio admirabili loquentes audiebant.

§. VIII.

*Pœnitentia.*

Pœnitentiæ eadem ferme erat ratio.

Non solum vobis exposui Canones Pœnitentiales, sed etiam retuli exempla, ut cognosceretis modum, quo in praxi fuerint observati. Haud dubie ista vobis magnæ admirationis causa fuerint, præsertim si attendistis, Canones, quo antiquiores sunt, eo etiam esse rigidiores, atque ipso Persecutionum tempore Rectores Ecclesiarum existimasse, non indulgentia sed pœnarum rigore vacillantes esse continendos. Inde igitur, quod Canonum antiquissimi sint omnium rigidissimi, concludendum est, hanc severita-

*Mœurs Ch.*  
n. 25.  
*hist. l. V. n. 46*  
*l. IX. n. 14.*  
*n. 21. l. XVII*  
*n. 14. 15. 16.*  
*l. XIX. n. 52.*

masset sich dieser Mensch eine Kritik an über die Theologie der Scholastiker, da er doch selbst keine versteht. Das übrige ist schon in verschiedenen Orten meiner Version, und sonderlich das elende Tractâtel des Engländers in meinen Gegenanmerkungen gnugsam widerleget worden.

veritatem a Traditione Apostolorum, et est, JESU CHRISTI fuisse acceptam, atque sequitur, in judicio nostro, non autem in illo rigore esse errorem, si nobis nimius videatur.

Verum, inquires, an non nimium sit homines ob unicum peccatum per annos quindecim aut viginti, & non nunquam per totam vitam cogere ad agendam Pœnitentiam? per annos integros extra Ecclesiæ portam omnium contemptui exponere, postea eosdem aliquot annis in Ecclesiam admittere sed prostratos? compellere, ut cilicia gestarent, cineres capiti inspergerent, barbam & capillos nutrent, solo pane & aqua jejunarent, & domi inclusi vitæ hujus commercio renuntiarent? (\*) an hoc non erat peccatores ad desperandum adigere, & Religioni Christianæ apud omnes populos invidiam creare? Eadem & ego vobiscum contra illum Pœnitentiæ publicæ modum objicerem, si communem sententiam sequerer; sed obstant primo ipsa exempla & facta, quæ narravi. Hæc ego non commentus sum, nec enim mihi simile quidquam in mentem venire potuisset. Vera sunt & constantia, & si placet, in fontes inquirere, id in vestra pote

(\*) Semper attendendum, non nisi peccatoribus publicis, & volentibus saltem plerumque publicam Pœnitentiam fuisse injunctam.

potestate est. Unde sic argumentor : Religionis nostræ non nos ipsi Auctores fumus, sed eam a Patribus nostris accepimus, & talem, qualem ipsis Majores sui, usque ad Apostolorum ætatem ascendendo, tradiderant. Ergo intellectum nostrum non solum circa Dogmata, sed etiam circa Disciplinam primorum temporum Auctoritati subjiciamus.

Secundo, attente perpendenti mihi argumenta illa, quibus tantum rigorem Ecclesiæ utilem esse probarunt Veteres, firmissima videntur. Peccatum, inquiunt, est animæ morbus; at morbi una hora non curantur. Longo tempore opus est, ut occasiones removeantur, & obscænæ flagitii imagines ex mente deleantur, ut irritati affectus coerceantur, peccati gravitas agnoscat, omnes reæ conscientiæ explorentur latebræ, pravæ consuetudines radicitus evellantur, acquirantur contrariæ, firma eliciantur proposita, & ipse Peccator dubitare nequeat, quin sincera sit sua conversio; sæpe enim homo, etiam nolens, fervore sensibili, sed instabili fallitur. Ceterum longum Pœnitentiæ tempus idoneum erat ad peccati horrorem, & timorem relabendi, profunde imprimendum. Unius verbi gratia adulterii reo, & ideo a Sacramentorum perceptione per

per annos quindecim excluso satis, ut opinor, vacabat, peccati, quod admiserat, enormitatem pensare, & meditari, quam horrenda pœna illos maneat, qui a Dei vultu in æternum privandi sunt. Qui improbo affectu ad simile peccatum impelli se sentiebat, si Religionem vel mediocriter amaret, non tam facile labebatur, cum præsciret, voluptatem momentaneam jam in hac vita acerbissimas pœnas secum tracturam, sibi que vel asperrimam quindecim annorum pœnitentiam subeundam fore, vel apostatandum & ad Paganismum redeundum. (\*) Quoniam unius anni pœna præsentis humanam mentem acrius afficiunt, quam supplicii æterni, sed post mortem futuri, memoria.

Pœnitentia publica non solum pœnitentibus, sed etiam Spectatoribus proderat. Unius exemplum multos forte peccaturos refrœnabat, & Respectus humanus famulabatur Religioni. *Bona illa paulatim recuperantur, inquit S. Augustinus, quæ per peccatum subito amissa fuerunt; si enim homo ad pristinam felici-*

*Aug. Serm.*  
*278. n. 3. ab.*  
*34. de divers.*  
*c. 3.*

(\*) Nimum hic dicere videtur Fleurius. Ceterum hodieque Adulteri aliquod Pœnitentiæ publicæ genus ante Ecclesiæ januam subire coguntur.

*felicitatem cito reciperetur, lapsum in peccatum mortale, jocum reputaret.*

Si de rei veritate ex effectibus judicemus, rursus videbimus, quam salutaris hic rigor fuerit. Nunquam alias quam illo tempore pauciora fuisse Christianorum peccata leguntur, & communi ruina, ut Disciplina vigor remisit, Christianorum mores corrumpi cœperunt. Nunquam major Infidelium numerus ad Fidem conversus est, quam tunc, cum Catechumeni severissime examinarentur, & Baptizatorum peccata, gravissima punirentur pœnitentia. Opera Dei humana prudentia non reguntur. Ut argumentum afferamus a minori, id verum esse in Congregationibus Virorum Religiosorum experimur; dum illæ, quæ a pristinae suæ Disciplina rigore defecerunt, quotidie minuuntur, quamquam remissionis causam fuisse obtenderint, dandum fuisse aliquid infirmitati humanæ, ut eo plures ad amplectendum Religionis institutum permoveerentur; econtra ad illas Congregationes, in quibus Regula strictius observatur, & Disciplina magis viget, longe major postulantium numerus convolat.

Et profecto temeritatis notam non effugeret, qui acerbitatis aut imprudentiæ inculcare auderet, non dico, Apostolos, qui Spiritu Dei agebantur, sed

*Hist. Eccles. Tom. VIII.*

Q S. Cy-

S. Cyprianum, S. Gregorium Thaumaturgum, S. Basilium aliosque, qui hæc Pœnitentiæ Regulas posteris tradiderunt. Si virorum istorum dotes, quibus eos Natura ornavit, consideremus, his nemo sapientior, nemo lenior, nemo humanior; hæc autem dona superveniens Dei Gratia utique non destruxerit. Hi unice sequebantur exemplum illius, qui venit salvare animas & non perdere, qui mitis est & humilis corde. Item populi, quorum Regimen susceperant, non fuere Nationes feræ & barbaræ, sed Græci, Romanique, quorum mores illa collabentis Imperii ætate luxus & mollietates dissolverat.

Unde ergo tantus Pœnitentiæ rigor sane non aliunde quam ab ardentissima Sanctorum istorum Pastorum Charitate, quam prudentia & constantia comitabatur. Peccatorum conversionem serio quærebant, quem finem ut consequerentur, nulli labori parcebant. Medico assentatori, avaro aut desidioso, satis est ægroto adhibere remedia fallacia, quæ uno momento dolores leniunt, sed morbum non tollunt, nec deinde ullatenus angitur, quod ægrotus frequenter relabatur, quod langueat, & miserrime vivat, si modo ipse sine magno labore magna mercede fruatur, & se præsentem ægro ad breve tempus melius sit. Bonus  
Medi

Medicus paucorum curam suscipit, & sanat. Omnia morbi adjuncta attente considerat, causas & effectus perquirat, ægro rigidam abstinentiam & acerba medicamenta perscribere non veretur, si ea ad tollendam mali radicem apta judicet. Ægrotum refractarium & remedia ad sanitatem recuperandam necessaria respicientem derelinquit.

Ita Sancti nostri Episcopi Pœnitentiam non nisi petentibus, & sincerum conversionis propositum profitentibus concedebant. Nemo ad eam recipiendam cogebatur, sed qui se non subiciebant, si alicujus peccati publici convicti *Mœurs Chr.* u. 24. 25. essent, a communione Fidelium excluderentur. Illos vero, qui Pœnitentiam subibant, Pastores regebant secundum regulas a Majoribus suis acceptas, quas unicuique, prout ipsi expedire videbatur, singulari cura & discretione adhibebant. Tepidos excitabant, aliorum nimium zelum moderabantur, jam in superiore, jam in inferiore pœnitentium gradu pro emendationis mensura collocabant, nihil denique relinquebant intentatum, quo de eorum conversione certi essent, & relapsum præcaverent.

Jam vero unusquisque vere Christianus secundum conscientiaæ suæ dictamen judicet, an ista cum pœnitentibus agendi ratio a crudelitate vel charitate or-

Q 2

tum



tum traxerit. Nemo etiam de nimio rigore querebatur, nec ullas hucusque querelas in Conciliis motas fuisse legitis, nisi quod in quibusdam Ecclesiis antiqua Pœnitentiæ Disciplina negligenteretur; id autem abusibus adnumerandum omnes arbitrantur. Videbitis, eundem abusum sequentibus temporibus partim ob ferocium populorum inobedientiam, partim ob nimiam Pastorum facilitatem & ignorantiam magis magisque invaluisse. (\*)

§. IX.

(\*) Admodum rigidus si non nimius hic est Fleurius & ad ferendum in re tanta iudicium præcepit.

Der unsinnige Protestant hat hier auch wieder um seine Meinung geäußert: Es ist auch, sagt er, in verschiedenen dieser strengen Verordnungen nichts anzutreffen das einem Sünder zu einer wahren Herzensänderung, als worinn allein die Gott wohlgefällige Buße besteht, Gelegenheit gegeben hätte u. und ferner: So bald die Kirche Ruhe erhielt. Man suchte der auferlegten Strenge auf eine andere Art los zu werden, und man fand auch wirklich Mittel die angekündigten Strafen zu versilbern. Die geistlichen Aerzte ließen sich behandeln, nahmen allmählig für die Sünden und Strafen Geld an, wovon bekanntermassen die Indulgenzen und der ganze Ablasskram seinen Ursprung erhalten. Antwort: Die äußerlichen Bußübungen sind